



Pastoralis Sollicitvdinis, Sive De Officio, Et Potestate Episcopi

Tripartita Descriptio. Cvivs Pars Prima Episcoporum institutionem, ...
Secvnda Quicquid ad Episcopi est potestatem, ... Tertia Quod ad casuum
reseruationem, ... Methodo Noua, & expedita complectitur

Quæ omnia ad praxim vtriusque fori, interioris scilicet, & exterioris, & ad
iurisdictionis explicationem exigenda continet

Barbosa, Agostinho

Parisiis, M.DC.XXV.

Episcopvs An teneatur stare locationi prædecessoris? Allegatio XCIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98639](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98639)

alijs iuribus supra allegatis. Sicut Episcopus contra ius statuere non potest, ita etiam nec contra consuetudinem rationabilem, & legitime praescriptam, ex eo quia consuetudo parem vim habet cum lege l. de quibus, ff. de legibus §. ex non scripto, instit. de iure natur. capite consuetudo, dist. 1. Guid. sing. Bernard. Graue. ad pract. Cameræ Imperial. lib. 1. conclus. 36. & venit appellatione iuris Menoch. frequent. cap. 3. numero 2. tum quia si Episcopus potest statuere contra ius conformando se cum consuetudine contra illud inducta, ut resoluunt citati num. seq. versicul. quinto, ergo nullo modo poterit statuendo conformare se cum iure, contra quod inducta est consuetudo illud abrogans, contraria enim simul esse non possunt, l. mutuis, ff. pro socio, l. 1. de furtis, quia tunc ad positionem vnius, sequitur remotio alterius, l. si inter, ff. de except. rei indic. surd. de cessione vigesim. quart. numero decimo, & cons. 211. numero 16.

31 In casibus tamen, qui sequuntur, posset Episcopus statuere Canones, & Constitutiones Summorum Pontificum. Primo ex causa vrgenti non cogitata per canonem, si nimirum Superior de facili consili non possit, modo in huiusmodi statu contra Canones ex vrgenti causa condito ipsa causa exprimat, propter quam conditur statutum, ita Abb. in d. capite fin. numero 10. & ibi Curt. d. sect. numero 12. & 13. Felin. in d. capite, quod super his, numero 4. & in capite, 1. numero 49. de constitut. praxis noua Episcop. d. capite, 2. numero 7. versiculo primo. Secundo, si aliquid statuatur antequam Canon promulgeretur, tenebit enim suum statutum, licet contrarietur Canon, text. est in capite 1. de constitut. in 6. annotarunt Felin. in d. capite quod super his, numero 7. versicul. fallit quinto, Curte d. section. 3. numero 19. praxis noua Episcop. d. num. 7. versiculo quarto: nam in querendis valet statutum in prauiudicium Ecclesiae, quando non odio, sed bono zelo factum est, Conar. in reg. possessor. par. 2. §. 4. numero. 9. versiculo tertio, Mench. v. infreg. capite, 9. Menoch. cons. 350. numero 6. Cald. Pereira de empt. capite, 8. numero 33. & 37. & cons. 48. numero 22. Cened. practicarum questionum lib. 1. questione 35. numero 19. & 20. Verum ab hac resolutione merito discedit Curt. d. sect. 3. numero 14. ex eo, quia huiusmodi statutum generale prauiudicans Ecclesijs esset irrationabile, ideoque non valeret, capite 1. cum ibi not. de constitut. in 6. capite. erit autem lex, dist. 4. Non obstat igitur d. capite cum dilectus, quia procedit eo quod patronus id petijt tempore foundationis ab Episcopo, qui potest consentire fauore foundationis, & constructionis nouarum Ecclesiarum, per ea quae resoluunt Reg. bus. in tract. de pacificis possessor. numero 111. Perez l. 1. versic. ex quibus infero, tit. 6. lib. 1. Ordin. pagina 147. Nec etiam obstat illa Doctorum resolutio, quod in querendis valet statutum in prauiudicium Ecclesiae, quia procedit in casibus particularibus, in quibus nulla fit prohibitio à iure, & possunt Praelati desistere à tali prauiudicio, nos vero loquimur ubi fieret statutum generale pro aliqua Ecclesia, diocesi, vel prouincia, per quod fieret prauiudicium irreparabile, & illud quidem in omnibus casibus contingentibus. Quarto, quando Episcopus statueret contra Canones, qui conditi sunt principaliter in fauorem clericorum, & illud statutum à subditis clericis acceptaretur, dummodo principaliter conditi non fuissent in fauorem publicum, vel Ecclesiae, Curte d. section.

3. numero decimo octauo quia fauori suo quilibet potest renuntiare, capite, ad Apostolicam, de regular. l. si quis in conscribendo, C. de pactis, & ius publicum pactis priuatorum tolli, vel mutari non potest, l. ius publicum, ff. de pactis, capite. si diligenti, de foro compet. Quinto, quando statutum Episcopi contra ius esset conforme consuetudini, quae contra ius in illa Ecclesia inducta est, Felin. in d. capite. quod super his, numero decimo in fine, Butr. in dict. cap. cum dilectus, colum. 10. versicul. ex quo inferitur, Curte d. sect. 3. numero vigesimo quarto praxis noua numer. septimo in fine. Sexto, quando Episcopus statueret circa aliquod dubium iuris, qui tunc super hoc dubio eius statutum disponens in alteram partem valeret Phil. Prob. in capite. vnic. numero quadragesimo octauo & seq. de clericis non resident. in 6. Felin. in d. capite quod super his, numero. nono circa fin. Hojed. de incompatib. benefic. par. 1. capite decimo septimo, numero secund. Cur. d. section. tert. numero vigesimo tert. praxis noua Episcop. d. numero septimo. Septimo, quando statutum adderet iuri communi imponendam nouam penam, gloss. in Clement. ne Romani, verbo tolli, de elect. Cur. d. section. numero vigesimo secundo, Duenb. regul. 251. Henric. Bott. par. 3. artic. 1. conclus. 13. quia lex superioris per pœnæ adiectionem potest iuari ab inferiore, Perez l. 1. titul. 1. libro quinto, Ordin. pagin. 23. Gutier. pract. libro secundo questione prima, numero decimo quarto; Sanchez. de matrimon. libro tertio numero quadragesimo septimo, numero duodecimo. Franc. Molin. de ritu nupt. libro secundo differ. 7. numero sexagesimo tertio. Octauo, quando Episcopus statueret contra Canones in casibus, in quibus de iure potest dispensare Curte d. section. 3. numero vigesimo primo. Qui autem sint casus, in quibus potest Episcopus dispensare contra ius commune adduco ego ipse Alleg. 33.

S V M M A R I V M.

- 1 Episcopi successor non tenetur stare locationi praedecessoris, nisi tribus concurrentibus, primo, locatio fuerit facta nomine Ecclesiae, secundo, quod sit facta pro utilitate Ecclesiae, tertio, quod pecunia sit conuersa in utilitatem Ecclesiae.
- 2 Successor in beneficio tenetur stare locationi, quando summus Pontifex concederet licentiam locandi ad tot annos eo adiecto, ut illis durantiis conductor à nemine molestaretur.
- 3 Successor in beneficio tenetur stare locationi pro anno incepto.
- 4 Successor in beneficio tenetur stare colono existente loci consuetudine.
- 5 Praelatus, ubi tenetur stare locationi praedecessoris, potest de nouo exigere à conductore pensionem praedecessori antea solutam.
- 6 Praelatus sciens se repudiaturum praelaturam, non obligat successorem, etiam si faciat locationem nomine Ecclesiae.
- 7 Conductor anticipate pensionem soluens, si à successore pro ea de nouo obligetur, habet recursum contra haeres locatoris, si soluendo fuerint.
- 8 Successor in beneficio recipiendo pensionem, videtur consentire locationi pro anno, pro quo illum recipit.
- 9 Scholaris si locauerit fructus sui beneficii, ut possit in litterarum studio viuere, vel illic gradum sumere, si in

tra locationis tempus decedat, successor in illo beneficio teneatur stare locationi.

10 Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatae locum fructus suarum prebendarum nullo casu, huiusmodi locationibus successores obstringunt.

11 Hæredes, vel fideiussores Prelati, qui fecit locationem, si ipse decedat ante illum impletum tempus, non tenentur de euictione, neque conductor ab eis petere potest quantam sua interfit locationem impleri.

12 Prelatus, siue Rector si ex causa renunciationis, vel permutationis libere dimittat suum beneficium, eius hæredes & fideiussores in locatione de eo facta tenentur de euictione locatoribus.

13 Prelatus quando bona sui beneficii locat tanquam liberis, tunc eius hæredes, & fideiussores de euictione tenentur.

14 Locator beneficii, seu maioratus, quando pro securitate vite sue, & validitate totius temporis contractus locationis bona sua generaliter, siue specialiter obligauerit, vel fideiussores dederit pro solutionibus anticipatis, tunc eius fideiussores tenentur stare conventioni.

15 Conductor poterit recedere à locatione in illis casibus, in quibus mortuo locatore successor non tenetur illi stare.

EPISCOPVS AN

teneatur stare locationi prædecessoris?

ALLEGATIO XCIV.

Regulariter Prelatus successor, aut quilibet beneficiarius, non tenetur stare locationi, vel conductioni prædecessoris, si nomine proprio locauit fructus, & redditus Episcopatus, vel beneficii in suam utilitatem, ad tempus iure, vel Synodali constitutione permissum, ipseque ante tempus locationis expletum decedat. Quando vero Prelatus administrationem habens, non nomine proprio, sed vti Rector, & nomine Ecclesiæ, debita iuris solemnitate seruata, locationeque ad tempus iure permissum facta, contraxit, ac locauit, eius successor tenetur stare locationi. Dixi, debita iuris solemnitate seruata, quia quatuor concurrentibus illam seruari in hac materia est obseruandum: primo, quod locatio fuerit facta nomine Ecclesiæ: secundo, quod sit facta pro utilitate Ecclesiæ: tertio, quod pecunia sit conuersa in Ecclesiæ utilitatem: quarto, quod interueniat auctoritas Superioris: colliges hæc ex glossa verbo terminum in cap. ult. ne Prelati vices suas, Couar. variar. libro secundo cap. 15. numero sexto. Molina de primogen. libro primo capite vigesimo primo à principio. Carotus de locato part. 3. tit. de rebus Ecclesiæ locandis, questione prima cum sequentibus. Michael Grassi tom. secund. commun. opinion. libro quarto titulo quadragesimo tertio, numero quadragesimo, pagina 657. vbi vñ. numero 123, pagina 661. spm. in speculo testament. gloss. 19. principal. numero quadragesimo primo. Cardos. in praxi iudicum, & aduocatorum, verbo fructus, numero vigesimo tertio, & verbo locatio, numero sexto. Marc. Anton. Genuens. in praxi curia Archiepiscop.

esp. Neapolit. c. 97. Caluacian. decis. quadragesim. quart. numero quarto, part. prim. & decisione vigesima. quint. a numero prim. par. quint. Gutier. Canon. libro prim. cap. trigessim. sext. & remissive de tutela par. secund. cap. vigessim. numero decim. Cardin. Tutius decisione 176. & 181. part. 1. Aloys. Ricci. in collect. decis. part. quart. collect. 1007. & collect. 1055. in fin. & in praxi fori ecclesiastici decisio. 112. in prima edit. & resolution. 97. in secunda edit. Flamin. de resignatio. libro primo, questione decima sexta, numero quadragesimo septimo. Surd. decisione trigessim. tert. numero septimo, & decis. 172. numero primo. Stephan. Gratian. disceptat. forens. cap. trigessim. septim. à numero decim. octau. Morl. in emporio iuris part. 1. titulo decimo, questione secunda, numero vigesimo. Delt. Barb. in l. si filio familias, §. ult. à numero decimo septimo. ff. soluto matrimonio. Modernus de iurisdic. par. 4. casu 98. numero octauo, & in votis nouissimarum decisionum, voto 180. Cardinal. Tuschus practicarum conclusionum, verbo locatio, conclus. 419. Stephan. Quarant. in summa Bullarum, verbo alienatio, numero decimo nono. Molin. de iustitia tract. 2. disputat. 492. vers. quod denique. Mari. Antonin. vari. resolut. libro primo, resolutione quadragesim. quint. numero primo. Ioannes Baptista Ferret. consil. 317. volum. secund. Valerius Reginald. in praxi fori penitent. libro vigesimo quinto, capite quadragesimo tertio, numero 528. cum sequentibus. Azori. institution. moral. par. 3. libro octauo, de locato, & conductione, capite sexto, questione septima, Rebel. de obligation. iustit. part. 2. libro decimo quarto, questione decima prima, numero decimo septimo, Cald. Pereira questionum forens. libro secundo, questione trigesima secunda, & de empt. capite vigesimo sexto, numero quinto, Cardinal. Mantica. de tacitis, & ambiguis conventionibus, libro quinto, titulo decimo tertio, numero vigesimo primo, Martin. Bonacin. de contractibus, disputat. 3. questione septima, punct. ult. numero decimo. Marc. Anton. Genuens. in practicabilib. ecclesiasticis, q. 137. plures alios ex antiquioribus refert Cened. ad Decretal. collect. 76. n. 5.

2 Primo limita, quando Summus Pontifex concederet licentiam locandi ad tot annos, & vt dicto tempore durante conductor à nemine, nec à successoribus in beneficio molestari possit, Mandos. de Signatura gratia. tit. de indulto locandi, versicul. supponamus, Quaranta dicto verbo alienatio rerum Ecclesiæ, numero 19. versicul. quando, Aloys. Ricci. resolut. 97. n. 4.

3 Secundo limita, quando inchoatus esset annus, vel laboreretur, & res non esset amplius integra, & sic vt pro anno incepto successor in beneficio teneatur stare locationi, Franc. Marc. Delphin. decis. 196. column. fin. part. 2. Marc. Anton. Genuens. in praxi d. cap. 97. numero secundo Domin. Caluacian. decisione 44. numero trigesimo secundo part. 1. Quaranta vbi proxime, praxis noua Episcop. par. 2. capite 5. numero 32. versicul. tertius casus, Mari. Anton. d. resolut. 45. numero tertio. Aloys. Ricci. d. resolut. 97. numero quinto, qui hoc ipsum ad ipsum conductorem extendunt, scilicet, vt pro anno incepto non possit recedere à locatione, vt quia forte videret parum utilitatis consequuturum.

4 Tertio limita existente consuetudine loci, quæ obseruet, vt successor in beneficio teneatur stare colonis, Franc. Marc. decis. 144. p. 1. Quaranta d. n. 19. in fine, Aloys. Ricci. d. resolut. n. 8.

5 Aduertendum in hac materia est, quod vbi Prelatus tenetur stare locationi prædecessoris,

potest de nouo exigere à conductore pensionem prædecessori anticipatè solutam, *Gig. de pension. q. 88. à n. 1. Cardin. Tusch. d. concl. 419. n. 15. surd. decis. 326. n. 79. vbi n. 80.*

6 Resoluit quod Prælatus sciens se repudiaturum Prælaturam, non obligat successeorem, etiã si faciat locationem nomine Ecclesiæ.

7 Habebit tamen conductor recursus contra hæredes locatoris, si soluendo fuerint, secundum *reg. l. pro hæreditarijs, C. de hered. action. Barbosa in l. si filiosamil. §. fin. numero 21. ff. soluto matrimo. surd. decis. 326. numero 47. Cald. Pereira de emption. capit. 25. numero 6.*

8 Successor in beneficio recipiendo pensionem videtur consentire locationi pro anno, pro quo illam recipit, *Caualecan. d. decis. 25. num. 3. Mari Anton. d. resol. 45. numero 4. surd. decis. 33. num. 1. & decis. 264. numero 13. & decis. 265. numero 15. Pute. decis. 180. p. 1. quia quando locatio non obligat successeorem, tunc Prælatus recipiendo pensionem, non censetur illum confirmare ultra tempus perceptæ pensionis, surd. decis. 33. numero 9.*

9 Singulare est, quod Scholaris si locauerit fructus sui beneficii per triennium, vel aliud minus tempus, & pecunias illius temporis receperit, vt posset in litterarum studio viuere, vel illic gradum sumere, si intra hoc tempus decedat, successor in illo beneficio, quamuis nullum ius à prædecessore habeat, tenebitur stare illi locationi, quia censetur facta in utilitatem Ecclesiæ *Rebus, de priuileg. scholarium, priuileg. 26.*

10 Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiata, locantes fructus suarum præbendarum nullo casu huiusmodi locationibus successeores obstringunt, quia fructus huiusmodi semper ad eorum pertinent utilitatem, *Abb. in capit. ex litteris, num. 7. & ibi Dec. numer. 9. de probat. D. Barbosa d. §. fin. nu. 27. ad finem, Cardin. Tusch. concl. 419. numero 16. 24. & 25. vbi etiam extendit ad omnem simplicem beneficiatum, qui non habet administrationem.*

11 Quæres opportune an hæredes, vel fideiussores Prælati, qui fecit locationem, si ipse decedat ante impletum tempus illius locationis, in casu, quo eius successor illi non tenetur stare, teneantur de euictione, itaut conductor aduersus eos possit habere recursus, & ab eis petere quanta sua interfit locationem impleri intra tempus præfinitum: in qua questione dicendum puto prædictos hæredes, vel fideiussores ad nihil teneri, vt resoluunt *Anton. in capit. ultimo, numero 9. ne Prælati vires suas, & ibi Innocen. Gutier. canon. libro 1. capite 36. numer. 23. sequitur D. Barbosa in d. §. fin. numero 21. ad finem.* Pro quibus illud facit, quod talis locatio finita fuit morte locantis, ac si res ipsa locata perisset, vt aliàs inquit *Iurisc. ult. in d. l. si quis domum, §. 1. ff. hoc tit. ac proinde hæredes, siue fideiussores locantis non tenebuntur, quia cogitare debebat conductor euenire posse ante declaratum tempus locationis locatorem posse decedere, cuius morte locatio extingueretur, d. §. 1. quo fundamento in hæredibus possessoris maioratus idem amplexus est *Molina de primogen. libro 1. cap. 21. num. 8 & 9.* Per quod fundamentum idem dicendum est, etiamsi conductor re locata plures expensas fecerit, quasi toto tempore locationis fruiturus, nec enim eas ab hæredibus locatoris cõsequetur, tradit *Palasc. de iure emphyt. quest. 25. numero 35. sequitur Molina**

dicto numer. 9. licet contrarium in praxi seruari dicat ipse Palasc. ne quis cum alterius iactura locupletur contra regulam locupletari, de regulis iuris in 6. & propter æquitatem l. si me, & Titium, & l. si cum seruum, ff. si certum pet.

12 Declarabis tamen primo suprapositam resolutionem, vt non habeat locum eo casu, quo Prælatus, siue Rector ex causa renunciationis, vel permutationis, vel ex alia causa libere dimittat suum beneficium, quia tunc hæredes, & fideiussores ipsius de euictione tenebuntur: ratio est, quia propter factum voluntarium conductor non potuit frui re conducta intra tempus in locatione declaratum, in qua specie procedere potest, *l. qui fundum, 32. ff. de locato.* multum enim refert an Prælatus moriatur, an vero voluntarie demittat beneficium, hoc enim voluntate, siue facto partis contigit: illud vero voluntate Dei, quam declarationem tenent *Gutier. d. cap. 36. numero 25. cum sequentibus, D. Barbosa d. §. fin. n. 22.*

13 Secundo declarabis non procedere quando Prælatus bona sui beneficii locat tanquam libera, quia tunc hæredes, & fideiussores de euictione tenebuntur, quod probari potest ex doctrina *l. si quis domum, §. si. vers. quid tamen, ff. locati,* per quæ idem in possessore maioratus locante bona maioratus tanquam libera tenuit *Molina d. cap. 21. numero 11. & in nostra specie probauit Gutier. d. cap. 36. num. 19.*

14 Tertio declarabis non procedere quando locator beneficii, seu maioratus pro securitate vitæ suæ, & validatione totius temporis contractus locationis bona sua generaliter, siue specialiter obligauerit, vel fideiussores dederit pro solutionibus anticipatis, vel pro interesse locationis totius temporis conuenti, nam tunc conuentio seruanda erit ex doct. *l. 1. §. si conueniat, ff. de positi, & l. semper in stipulationibus, ff. de regulis iuris, cum similibus.* Extra tamen hos casus obligatio generalis, vel specialis bonorum, vel fideiussores præstiti simpliciter pro securitate locationis nihil quoad euictionem operabuntur: ratio est, quia sunt accessoria cõtractus, quo extincto ex natura ipsius, accessoria vt extinguantur, necesse est, iuxta vulgaria iura, & *l. si homo mortuus, ff. de verborum obligation. vt ex Ancharan. tenet Gutier. d. capit. 36. numero 20. cum seq.* Vnde erat optima cautela, vt aduertit *Gutier. ibidem n. 29.* quod si clerici in prædictis casibus velint sibi providere, quando locant fructus suorum beneficiorum in triennium, iuxta *d. Extrauag. Ambrosiæ,* pactum illud in locationibus adiciant, vt si ante tempus in locatione declaratum decesserint, aut promoti fuerint ad aliud beneficium, aut Prælaturam, siue alio quocunque modo contingat beneficia illa detinere, & possidere, quod ad nihil teneantur ratione euictionis, siue interesse, immo potius ipsi, bona sua, hæredes, & fideiussores liberi remaneant.

15 Vltimo aduertendum duxi, quod in illis casibus, in quibus Prælati successor non tenetur stare locationi per prædecessorem factæ, ita similiter nec conductor; quinimo poterit ab ea recedere, etiam inuito successore, vt æqualitas inter eos seruetur, & ne contractus claudicare videatur, *l. Iulianus, §. si à pupillo, ff. de actionib. empti.* notant *Molina d. c. 21. n. 4. Gutier. d. c. 36. n. 12. refert plures D. Barbosa d. §. fin. n. 20.*